



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans

Kinckius, Matthias

Coloniæ, 1662

De symbolo,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

ejus loco dicitur *Tractus*, qui *Tractus* prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut suis locis ponitur: nec dicitur in Feriis à Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando repetitur *Missæ Dominicæ*.

6. Dicto Graduali, seu Alleluja, seu Tractu, dicitur *Evangelium*. Et in principio Evangelii dicitur *Dominus vobiscum*. Resp *Et cum spiritu tuo*, deinde, *Sequentia sancti Evangelii secundum N.* Resp *Gloria tibi Domine*. In fine Evangelii à ministro respondetur, *Laus tibi Christe*, quod etiam dicitur in fine illius partis *Passionis*, quæ legitur in tono Evangelii, præterquam in *Parasceve*. Postea si dicendum est, dicitur *Credo*.

DE SYMBOLO.

XI.

1. *Symbolum* dicitur post *Evangelium* in omnibus Dominicis per annum, etiam si in illis fiat de *Festo*, in quo aliàs non diceretur. In tribus *Missis* de *Nativitate Domini*, & deinceps usque ad *Octavam B Joannis Apostoli* inclusive. In
Epi-

Epiphania, & per Octavam. Feria quinta in Cœna Domini. In Paschate Resurrectionis, & per Octavam. In Ascensione Domini, & per Octavam. In Pentecoste & per Octavam. In festo Corporis Christi, & per Octavam. In omnibus festis B Mariæ & per Octavas. In festis duodecim Apostolorum, & Evangelistarum, & per Octavas. In utraque Cathedra S. Petri, & in festo S. Petri ad vincula. In festis Conversionis & Commemorationis S. Pauli Apostoli. In festo S. Joannis ante portam Latinam. In festo S. Barnabæ Apostoli. In festis Inventionis & Exaltationis S. Crucis. In Transfiguratione Domini. In festis Angelorum. In festo S. Mariæ Magdalenæ. In festo quatuor Doctorum, videlicet Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi, addito festo S. Thomæ de Aquino, & S. Bonaventuræ. Item in festis Doctorum Arhanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, & Joannis Chrysostomi. In die Octavarum S. Joannis Baptistæ, & S. Laurentii. In festo omnium Sanctorum, & per Octavam. In Dedicacionibus S. Salvatoris, & SS Apostolorum Petri & Pauli. In Anniversario Dedicacionis

tionis propriæ Ecclesiæ, & per Octavam. In die Consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris. In festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia, & ubi habetur Corpus, vel insignis reliquia Sancti, de quo agitur. In die Creationis & Coronationis summi Pontificis, & in Anniversario ejusdem diei. In die & in Anniversario electionis & consecrationis Episcopi. Item in omnibus festis, quæ in Dominicis, & infra Octavas celebrantur, in quibus ratione Dominicæ & Octavæ dici debet. Item in festo Patroni alicujus loci, vel tituli Ecclesiæ, (non autem alicujus Capellæ vel Altaris) & in festis principalibus Ordinum, & per eorum Octavas, in Ecclesiis tantum illius Ordinis. Item dicitur *Credo*, in Missis Votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur.

DE OFFERTORIO, SECRETIS,
Præfationibus & Canone.

XII.

1. Post Symbolum, vel si non fit dicendum, post Evangelium dicitur *Dominus*